

**Dissertationem medicam inauguralem de medicamentis sternutatoriis ... /
sub praesidio ... Georgii Balthasaris Metzgeri ... solenni eruditorum examini
... subjicit Johann-Henricus Hiller.**

Contributors

Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.
Hiller, Johann Heinrich, active 1677-1678.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Johann-Henrici Reisii, 1678.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gb2rke8x>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DIVINO NUMINE CLEMENTER ADSPIRANTE

Ex

*Consensu & Autoritate Amplissima Facultatis Medica in Ce-
leberrimâ Tubingensi Academiâ*

DISSERTATIONEM MEDICAM INAUGURALEM

De

MEDICAMENTIS STERNUTATORIIS,

PRO

Consequendis Summis in Arte Medica Hono-
ribus & Privilegiis

DOCTORALIBUS

Sub

PRÆSIDIO

MAGNIFICI DN. h. t. RECTORIS.

DN. GEORGII BALTHASA-
RIS METZGERI, Medic. D. Praxeos,
Anatomiae, & Botan. Prof. Ordin.

Præceptoris & Promotoris sui, omni ætate Parentis loco colendi,

Solenni Eruditorum examini

Ad diem 13. Octobr.

Subjicit

JOHANN-HENRICUS HILLER,
Stuttgardianus.

TUBINGÆ,

Typis JOHANN-HENRICI REISL,

ANNO M DC LXXVIII.

DIVISION OF THE UNITED STATES

DEPARTMENT OF THE INTERIOR

LAND OFFICE

WASHINGTON, D. C.

1880

MAILED

1880

RECEIVED

DOCTORS

1880

MAILED

RECEIVED

1880

RECEIVED

1880


RECEIVED

1880

1880

RECEIVED

1880



Q. D. B. V.

PROOEMIUM.



Uod si Romanorum olim servi fortuitò etiam facta sternutamenta & tussim, teste *Aur. Theod. Macrobiò 1. Sat. c. 11.* magnò malò suò luebant, nescio quid de me sperare ausim, qui studiò, ex *Gratiosa Facultatis Medicæ* indultu, ster-

nutationem excitandi causas, instrumenta, modumque in scenam, locò *Inauguralis argumenti* produco, publicoque hîc examini sisto. Sed jacta est alea! usus finisque rem commendabunt, coronabunt, *Deus* suâ mihi gratiâ adsit.

THESIS I.

Speciosa *Epicteti*, summi quondam Philosophi, sententia: ἀρχὴ παιδείσεως ἢ τῶν ὀνομάτων ἑρμηνεία; Initium doctrinæ est nominum dilucidatio, idemque *Galenus* in scriptis suis hinc inde, *1. m. m. cap. 5. 2. m. m. cap. 1. l. de opt. constit. 6. & 9.* & alibi inculcat, nominum notionem in disputationes adsumi, & tanquam limen spectari debere. Horum itaque in disquisitionis hujus vestibulo memor, primordia à *Nominis* enucleatione auspicabor.

I I.

Sternutatoria igitur medicamenta, quæ *Plinio* etiam *sternutamenta* audiunt, ab effectu, sternutatione, nomen ducunt, aliâ sed fictâ & communi cum *Errhinis* & *Apophlegmatismis* voce, *caputpurgia*, vel specialius *nasipurgia* dicuntur: nec incongruè

eâdem vulgus Medicorum licentiâ, *nasalia*, à loco applicationis, vocat apud *Jacob. Weckerum antid. gen. l. 1. c. 18. & 43. Eruntoria* non nemo Recentiorum appellat. *Græcis πταρμικά*, aut ex *Galeno s. simpl. Med. 20. ἐπρίνα* dicuntur, sed fortiora, ut limitant nonnulli, generalem itidem operationem, locumque magis, quàm specialem operandi modum, attendentes. *Homonymum* aliud apud *Authores* vix occurrit, nisi cum *Thalmudistis*, ex *Buxtorffio in Lexico Thalmud.* inter superiorem, & inferiorem sternutationem ridiculè distinguere velis, hujusque intuitu flatus discutientia, seu carminantia vulgò dicta, nomine hoc digneris, vel *ἀνύσας* sternutationem etiam eructationem habeas, ex *Galeni comment. 2. in 6. epidem. t. 32.* hancque promoventia sternutamenta censeas. Cæterùm vox *ptarmica* κατ' ἐξοχήν certæ plantæ tribuitur, qua de *Botanicorum* dissensus ubique obviis, notarique hoc præcipuè locò meretur *Texaxapothla Indorum* apud *Francis. Hernandez rer. Indic. nov. Hisp. l. 2. c. 3.* quæ (mirum!) inuncta, vim ptarmicam per lapidem vel quinque uncias crassum, naribus adversæ parti lapidis admotis, probat. Sensum hujus loci sequens *descriptio* sistit.

I I I.

Sternutatoria sunt medicamenta naribus privata consecrataq̃, quas non solum secundum partem maximè sensilem, internam tunicam, laceffunt, & mucum, nec non vitiosum, ex vasorum huc definentium oscillis, humorem eliciunt, sed & ex his & è toto ferè corpore, motu peculiari sternutatorio, molestam sarcinam loco movent & expellunt, in vitæ bonæque valetudinis præsidium.

I V.

Valdè necessarium Superiorumque industriâ Medicorum vel maximè dignum medicamentum hoc, cum *Bartholomeo Paschetto*, meritò laudo, ut ut de primo inventore non constet, antiquissimum tamen remedium esse, nemo non largitur, cum hujus apud antiquissimos Scriptores mentio fiat; inventionisque occasio ipsi procul dubio naturæ debetur, quæ spontanea, in molesti oneris expulsionem, sternutationem, Medico, sui imitatori, præivit; casus verò suggerere materiam potuit, qui idem herbanum hæmagogam apud *Galenum de purg. facult. c. 6.* viperarum contra

tra lepram vires, 11. de simpl. Med. 20. scordii dotes 1. de antidot. 14. gratiolæ conglutinandi virtutem, apud Andr. Casalpium 6. de plant. c. 69. nec non plura alia apud Hermann. Grube, de simpl. med. cognosc. s. 6. art. 1. & alibi obvia, ex orco quasi & tenebris in lucem protraxit, quæ facta post experimenta, & ratio commendarunt.

V.

Naribus autem dum *sternutatoria privata consecrataq;* dico, non simpliciter cum illis facio, qui communi præsuppositâ evacuationum universalium & particularium distinctione, inter hæc ptarmica ponunt, sed omnino, si effectum videas, & commodum in totum corpus redundans, quo de circa usum, universale remedium habeo, utut ratione subiecti aut loci, per quem fit evacuatio, particulare dici possint; separoque ita ab apophlegmatismis sive salivatoriis, ori dicatis, motu verò peculiari sternutatorio ab errhinis in specie dictis. Cætera ex penitiori subiecti, materiæ, modi applicationis, & operationis, viarum, & usus evolutione, plenius planiusque constabunt, quæ suò singula ordine investigabo.

V I.

Subiectum, puta *applicationis & receptionis*, nares non immeritò dixi; harum enim in cavitatem, sive inflata, sive attracta, sive infusa, sive illita, aut modò quòcunque post enarrando aliò, sternutatoria necessariò recipiuntur; nec adversarium hic ullum offendo. An verò irritationis pariter & scaturiginis hæ ipsæ subiectum dici mereantur, majori Authorum dissensionis expositum est. Veteres enim tantum non omnes, cumque his Juniorum non pauci, de hoc sollicitis cerebrum simul & præcipuè monstrant, quò ascendere ptarmica, etiam quâ habitum & substantiam, ut loquuntur, unde quæcunque nares emungunt, trahere, quod violento motu concutere creduntur, Authoritatibus hîc anxie conquisitis opus non est; ubique enim, apud Coum 7. aph. 51. Pergamenum in comment. Fernesium m. m. l. 5. Sennertum l. 2. prax. c. 9. & plures, qui sententiam hanc omnes pertinaciter tenent, & defendunt, testimonia extant uberrima. Hâc præfascinatus opinione Bernhardus Schwälve sternutamenta irritamenta cerebri

vocat, *therapeutic. general. p. m. 178. Fr. Grembſius l. 2. arb. integr. & ruin. hom. c. 1. §. 11.* crebram sternutationem cerebri potius quàm narium affectum dicit; imò ad sensum pro majori fide provocat *Unzerus de epileps. fuisse*, scribens, apud *Galenum*, qui post errhini attractionem gravem cerebri morſum ſenſerit.

V I I.

Qua verò de cerebri parte trahant, quam irritent proximè ptarmica, omnes non idem ſentiunt. Sunt qui ad cerebrum, ſcandere hæc per os cribriforme, & ex hujus anterioribus ſeu primis Ventriculis, aut extremis horum propaginibus, proceſſibus mammillaribus, trahere materiam volunt cum *Zacuto Luſitano prax. hiſtor. l. 3. c. 19. Fabric. Hildano c. 1. obſ. chir. 24. Job. Neandro in tabacolog. p. m. 75.* ſunt qui ex ipſa cerebri baſi c. *Pascheto* hanc moveri credunt; ſunt denique qui lambere marginem ſolùm cerebri, & humorem fluctuantem circa hujus ſubſtantiam & meninges cum *Job. Fernelio 3. m. m. 16. Lud. Mercato l. 3. de morb. intern. cur. c. 1. Alberto Kypero inſt. med. l. 4. c. 15.* laceſſere putant. *Sennertus* errhina quidem ultra meninges non operari credit, ſternutatoria tamen mordacitate & acrimoniâ ſua altius penetrare, & ex ipſo cerebro evacuare humores autumat, *Inſt. l. 5. p. 1. ſect. 1. c. 18. p. 2. ſ. 1. c. 15.* Sed omnia hæc ad multorum Modernorum palatum non ſunt, qui ptarmicis ne quidem ad meninges, multò minus ad cerebri ſubſtantiam, ventriculos, aut baſin, aſcenſum concedunt, ſed inaccessibiles ubique vias, os ſpongioſum interjectum membranisque obductum, foramina offis cribriformis, pelliculis obſtructa de velaminibus cerebri oriundis, objiciunt, quæ omnia nec aëri, ſi hunc vel folle vel quâcunque vi intrudere quæras, nec conſequenter ptarmicis, craniò integrò nec morbo correptò, tranſitum indulgent. Ut nihil dicam de materiâ expellendâ, quam hîc quærent, cujus de expulſione naturam ſollicitant, quæ nec in cerebro ejusque meningibus latet, nec ſi ad-eſſet, ob viarum defectum, evacuari hîc commodè poſſet, ut de ventriculis *Fernelius* ipſe ingenuè confitetur. *d. l. idem de cæteris Schneiderus l. 2. de catarrh. ſ. 1. c. 2. l. 3. ſ. 1. c. 11. l. 4. c. 9. & pluribus in locis. Guernerus Roſſinccius diſſert. anat. l. 6. c. 56. Martinus Schoockius de ſternut. qui ex his collegit, abunde probant, quos, cui volupe eſt, conſulere poſſet.*

V I I I.

VIII.

Horum itaque ductus persuasusque rationibus, imò ab ipsa cum *Rolfincio l. c.* veritate convictus, tunicam narium internam, ob nervos, quibus gaudet, multos, maximè sensilem, glandulis substratis vicinisque, nec non vasorum, quibus colluvies adfluit, copiâ, divitem, exculpatò cerebrò, *subjectum irritationis* substituo, quæ sternutamenti monita, collectam intra se & vicinas partes, glandulas palatinas, stomaticas, oculares, materiam extrudere satagit, huncque in finem sternutationem, causis necessariis aliis, mox monstrandis in subsidium vocatis, commovet. Consentiunt in hunc locum biga præprimis insignium Anatomicorum *Tb. Bartholinus anat. l. 3. c. 1. Nathan. Highmorus disq. Anat. corp. hum. l. 3. c. ult.* & plures, eandemque quotidiana experimenta suffulciunt, quæ hac, quòquò modò irritatâ parte, non aliâ, sternutamenta fieri monstrant, nunc crebriora nunc rariora, nunc faciliora aut laboriosiora, quò magis vel minus sensilem hanc homines partem accepere, frustra & sine sternutatione titillatis, aut vellicatis subinde, in vulneribus cerebri, aut occasione quâcunque aliâ, membranis cerebri & cerebrò ipsò, ipsâ hic loquente experientiâ.

IX.

Hunc autem locum quâ vi modoque afficiant ptarmica, valdè obscurum est, cum non modò quicquid vitiosi in naribus insidet aut vicinia, modestè, sine strepitu morfuque, eliciant, sed peculiari planè, eoque mirabili sternutationis motu excutiant, totique penè corpori vim inferunt. Prius cum errhinis cæteris & apophlegmatismis commune habent, paribusque ferè viribus ut hi palatum, ita nares illa, sollicitant & emungunt. In specie verò operari creduntur ex doctrina *Galenica*, vel occultâ vi, seu totâ, ut loquuntur, substantiâ, quâ materiam in capite contentam alliciunt, vel manifestâ, & quidem caliditate, subtilitate, acribus, detergentibus, nitrosis viribus, superficialiter corpori suo inhærentibus, ut facilimè à calore nostro moveri, penetrare, cerebrum membranasque excalefacere, humores liquare, fundere, naturamque ipsam in expulsionem per nares invitare, vel simpliciter, vel cum sternutatione valeant, *Plinius*
vim

vim causticam, imò ignem incusat. Chymici ad θia sua confugiunt, tam fixa quàm volatilia; *Georg. Wolffg. Wedelius* spicula salina vocat, quæ quò magis sibi relicta sunt, eoque magis stimulant, jam ptarmica, quò minus & magis obtusa, jam errhina audiunt, *de medicam. facult. l. 2. s. 2. c. 11.* præprimis θia volatilia hîc efficacia sunt, quæ atomis acutis seu poris subtilibus nares feriunt, *de sal. plant. volat. c. 7.* eòdem adstipulante ad *Cartesianorum* mentem, qui atomos inæqualiter figuratas subornant.

X.

Quicquid sit de nominibus, quorum conciliationem *Herm. Grube l. c. artic. 1.* monstrat, tenuibus, penetrantibus, & mordacibus prædita viribus medicamenta hîc requiri, extra dubium est, resque ipsa loquitur; hæc verò non tam opus habent adscensu ad cerebrum, ut communis judicat sententia, quàm in membranam narium internam, vasa & subjectas glandulas, unde scaturiginem hanc vocant, aperiendo, liquando, fundendo, irritando. Membrana enim narium non modò ob multos nervos, quibus gaudet, maximè sensilis, sed & glandulis substratis, & vicinis, vasorum copiâ abundat, ut multa colluvies confluere, stagnare in spongiosa substantia, indeque facilè expui possit. Eunt scilicet huc arteriæ, sanguinis ad cerebri nutritionem & spirituum animalium confectionem, delatrices, quæ in sanguinis felicioris depurationem, velut in vestibulo, hîc ante cerebrum, scorias nonnullas deponunt; eunt huc lymphatica vasa, quæ inter præprimis canaliculi, à punctis lacrymalibus in nares desinentes, notandi, qui suam etiam lympham procul dubio acriorem hîc evomunt, unde angulò oculi compressò, sternutatio impeditur, impeditò hoc acris lymphæ descensu, *vid. Tb. Bartholini anat. quartum reformat. l. 3. c. 8.* propinquæ his sunt glandulæ, à *Nicol. Stenone* descriptæ in *observ. Anat. pag. 101. & seqq.* unde oriunda exigua excretoria, fusum secretumque à sanguine de facili emittunt humorem. Nullum dubium etiam est, quin ex cerebro in nutritione residuo cum sanguine multæ humiditates excrementitiæ per sinus crassi meningis ad venas jugulares revehantur & ad partes has circa nares & os, seu ordinaria emunctoria, deponantur, subscribente *Rolfincio l. c.*

X I.

Quà posterius, quæstio longè difficilior restat, unde motus ille talis & tantus sternutatoria sequens? *Caspar. Hofmannus*, sternutatio quomodo fiat, difficilimum explicatu dicit, *path. parv. c. 25. §. 5.* imò opus tam mirabile habet, ut nemo hætenus Medicorum aut Philosophorum modum quo fiat, explicarit, unicuique; hoc, ut *Crato* morbi comitialis, ita hic sternutationis naturam & proprietatem, ante vitæ suæ exitum, cognoscere votum habuit, *Institut. l. 5. c. 36. comm. in Galen. de us. part. c. 6. num. 597.* Tentarunt tamen omni tempore hujus Antiquiores & Recentiores naturam explorare; quorum omnium scrinia expilare nunc animus non est; *Hippocratis & Galeni, Veterumque* aliorum mens ex *7. aph. § 1. & in comm.* nec non apud *Gorrhæum in definit. med. sub voce πτερύξις*, abunde patet. *Hieronymus Capivaccius* cum communi turba motum hunc accersit à motu expultricis cerebri depravato, à re nares & cerebrum molestante excitato, & adjuto motu musculorum capitis & thoracis, ut expellantur, quæ naribus aut anterioribus cerebri partibus infesta sunt, *Bartholomæus Paschettus* vi ptarmicorum adeò infestari cerebrum credit, ut se dilatet & comprimatur, ad expellendum id, quod molestum est; nimirum Author hic vulgarem illam opinionem sequi videtur, cerebrum more cordis systolen & diastolen indefinenter facere, eoque magis, quò magis à ptarmicorum acrimonia læditur, ut hostem expugnet. Nec multum ab his *Sennertus* abit, qui naturam ad excretionem hanc duplici motu uti scribit, alterò narium & cerebri, quæ molestantur, expultrice, alterò nervis, veluti longis quibusdam brachiis in thoracem demissis, ut loquitur *Galenus 2. de sympt. caus. §.* per hos illum contrahit, per ossa verò, quæ ὑποστέα vocantur, ipsum spiritum emittit, *l. 2. inst. p. 3. §. 2. c. 5.* & quidem cum strepitu & sono, quoniam per angustum ipsi exitus est. *7. aph. § 1.* Verùm enim verò ut cerebri affectum sternutationem ex dictis non credo, non concedo, ita nec à motu ejus depravato, qui nullus est, fieri persuaderi mihi patior; unde enim & quis ille cerebri, quod naturaliter quiescit, motus? nec ipsum in se cerebrum nec in membranis suis naturaliter ita palpitatur, aut contrahitur, nec si offenditur, vel

vulneratur, p. n. motum hunc sumit, teste iterum experientia, & ab hac edocto *Malachiâ Thrustone animadv. in diatr. de respir.* sed fieri hoc omne, qua præsens, ab irritata narium membrana credo, quæ rem molestant, introrsum revocatô atque altius ductô sub inspiratione spiritu multô, eodemque mox majori vi sub expiratione redditô, per confertos tunicæ poros, & anfractuofos narium meatus, cum aëre fractô & alliso, unde clarè sonant nares, & bifores quidem ut plurimum dupliciter, expellere conatur.

X I I.

Venit autem in subsidium successus felicioris multorum musculorum nixus validissimus, præcipuè autem thoracis & diaphragmatis, nec non abdominis universi, ut dum valide præfertim sternuimus, experiri de facili possumus. Thoracicos verò cum alii non pauci attingant, tum eorum quibus caput movetur, tum qui in extremo corpore siti sunt, ut nec ipsi etiam glutæi ab ea, quæ sternutando fit, succussione immunes sint, id quod in majoribus ossis sacri vulneribus Chirurgi sæpius observarunt, inde caput quidem cunctum, collum, thorax, propter musculos suos violenter quassantur, non item cerebrum privatim, non membranæ ejus sub cranio obviæ; quin imò non illas solum partes, sed & peritonæum, ventriculum, intestina in consensum trahi, universum corpus concuti, per experientiam quotidianam discimus; ita enim peritonæum subinde ruptum, herniam detrufis in scrotum intestinis relictam gravissimam, dentes excussos, cibum & potum in ore & faucibus hærentem, ejectum, frustum sagittæ post 25. annos rejectum, in interiori hærentia aure expulsa, calculos ex renibus & ureteribus, ex utero foetus explosos, flavedinem ictericam cutis dissipatam, humores de imis pulmonibus elisos, imò vitam ipsam profusam, observationes prolixè loquuntur, pluraque circa usum iterum patebunt.

X I I I.

Interim ad sternutatoriorum *materiam*, sternutationis instrumenta, pergo, quæ varia sunt, simplicia & composita; ex illis & quidem *vegetabilibus* petita notissima rad. ari. hellebor. utr. i.

reos nost. lil. convall. pyreth. ptarmic. raphan. marin. fol. majoran. nasturt. nicotian. ocymi, piperit. ptarmici, flor. lil. convall. sem. sinap. triti, ocymi, capsici, nigell. succ. euphorb. elater., aromata caryophyll. pip., Zingib. ex animalibus castoreum, ex mineralibus sal, vitriol. sulphur, acris omnia, purgantia sale imprimis volatili acricri pollentia, errhina majori dosi præbita & similia, apud Institutionistas aliosque ubique obvia; imò *ὑπερπνεύματα* ptarmica fieri, ut hæc *ὑπερπνεύματα*, si liquor per nares resupinatō capite in summa faucium transferit, non malè judicat *Schneiderus* l. 3. de catarrh. f. 1. c. 11. Hæc *Julius Caesar Claudin.* de ingress. ad infirmos l. 2. c. 16. *Weckerus antid. special.* l. 2. f. 11. *Quercetanus pharm. restit.* c. 18. *Schræderus* l. 2. pharmac. c. 55. *Rolfinccius m. m. special. comm.* l. 6. f. 4. c. 2. copiosa farragine, & formularum varietate suggerunt: Suum enim hic cuique pulchrum, sua cuique voluptas; potissimum autem laudantur, quæ in forma pulveris sicca adhibentur; fortius enim hæc operari creduntur humidis, & eò magis quò subtiliora, intimius enim penetrare & inhaerendo magis stimulare putantur: attrahuntur, vel inspirantur, vel per calamum, arundinem, pyxidem, inflantur; aliis tamen liquida etiam placent, ut sunt succi, aq. olea spiritus, ex prioribus & similibus elicita, vel mediæ consistentiæ, linimenta, unguenta, naribus imbibenda, illinenda &c. Veteres humida per canales aut tubulos injiciebant, quos *ὑπερχύτας* appellabant; *Largus* cornuum meminit, quibus infundebatur de compos. med. Delectantur nonnulli turundis, pessulis ad pyramidis formam extractis, ubi species sternutatoriae Guini tragac. terebinth. vel mucilagine aliâ excipiuntur, & cum cera & ol. q. f. in formam dictam ædificantur, quorum extremitati, dum applicantur, filum alligatur, ut ad libitum revocari possint. *vid. Author. cit.* Inter cœtera non postremum locum merentur spec. diatab. Mynsicht. diamajoran. pulv. sternut. August. Norimberg. imò omnibus his soli flor. lil. convall. cum pulv. tabac. sicci misti substitui interdum solent: qui sumptus ferre possunt, ambr. & mosch. aliquid adjiciunt. Chimici spiritus & via volatilia urinæ, fuliginis, salis ammon. spir. vitriol. sulphur. aliaque extollunt. Ptarmicum *ῥιζα* laudatum apud *Th. Bartholinum descri-*

bitnr c. 4. epist. med. 92. Quercetanus suffumigium sternutatoriorum solò odore operans, ex helleb. n. & mastiche parat, *tetrad. graviss. tot. cap. effect. c. 13.* Alii solo aceti vapore contenti sunt.

X I V.

Sed ne quid nimis, nec intempestivè! ut enim verè *Naso* de medicamentis in universum:

Temporibus medicina valet; data tempore profunt

Et data non aptò tempore vina nocent.

Ita nec sternutatoria extra hunc teli jactum sunt, nec promiscuè quocunq̃ue tempore morbi, ægrique ratione non habitâ, applicita juvant. Vertiginem multarum horarum post crebra sternutamenta notavit *Guern. Rolfinccius disq. Anat. l. 6. c. 56.* visum his turbatum, imò cœcitatem utroq̃ue in oculo subortam, idem *l. c. & Fabrit. Hildanus c. 1. obs. chir. 24. c. 2. obs. 13.* testantur, odoratum abolitum idem *Hildanus c. 4. obs. 13.* menstruum profluvium periculosissimum inde natum *c. 3. obs. 53.* epilepsiam insecutam *Cardanus 5. aph. 47. observarunt*, Pluraque alia incommodâ apud *Chrysostomum Magnenum de tabac. l. c. Martin. Schookium de sternutat. c. 17. ephemerid. nat. curios. anni 3. obs. 138.* videre licet; imò mortem ipsam insecutam *Cardanus l. c. Hildanus c. 3. obs. 58. c. 4. obs. 12.* animadverterunt. Igitur, ubi nulum in mora periculum est, non, nisi evacuatio optimè corpore, non, nisi plethorâ solutâ, jejuno ventre, ne coctioni impedimento sint, aut per superiora aut inferiora cibus redeat, locum habent. Exulent, ubi nares ulceribus tumoribusque obsessæ sunt, laxis vasorum orificiis laborant; ibi erosio major, hic sanguinis fluxus metuendus. Nocent, ubi oculi ægrotant omnium ferè votis; *Magnenus l. c.* ex insano tabaci sternutatorii usu crystallinum humorem corrugatum vidit; cœcitatem tamen diuturnam his sublatam ex ore alieno *Tb. Bartholinus cent. 4. epist. med. 92.* memorat: In epilepsia, vertigine, multis etiam non sine ratione suspecta sunt; quibus de tamen plura jam circa usum. Obsunt pulmonibus exulceratis, hæmoptoicis, herniosis, uterum gerentibus; hîc foetui periculum, majorem ibi intestinorum prolapsum minantur: plura vid. apud *Wedelium l. c.* diuturna in nonnullis consuetudo & nimia familiaritas hæc non

rarò explodit; exiccare enim continuò nares usu, indurari tuni-
cam callumque obducere videtur, ut morsum amplius non sen-
tiant, non curent; hac laborantem ptarmicomaniâ *Magnenus* no-
vit *l. d.* qui die unico pulveris sternutatorii ʒjv. naso suò inutili-
ter perdidit. In maiorem cautelam *Walaus m. m.* quantitatem
etiam ptarmicorum distinguit in infimam, si bis vel ter operan-
tur, mediocrem, 6. aut 7. summa, 18. 20. *de humor. loco vagant.*

X V.

Tandem de *Usu* quæritur: quo de si veteres audias, eva-
cuari ptarmicorum ope præcipuè per nares pituitosum, imò
quicquid vitiosi in cerebro, vel circa hoc congestum est, sive va-
porosum, sive humorosum, mediantibus cribri foraminibus, vo-
lunt; hisque emunctis à variis cerebrum præservari & curari mor-
bis, hinc benè olim cerebro auguratos, benè hujus sub moderato
sternutamento valetudini precatos, hoc benè valentis cerebri in-
diciu arbitratos esse autumant. Verùm quàm labili hæc sen-
tentia talo insistat jam constitit, nec opus est pluribus; id igitur
nunc dicam solùm quod ex hypothese superiori fuit, imò quod i-
psa, si voce uti posset, natura affirmaret, *Rolfincciò arbitro l. c.*
ptarmica tot hætenus decantata laudibus, non in cerebrum ceu
particularia hujus emunctoria, sed in spongiosas narium partes,
membranam, glandulas, vasa varia vires suas spargere, has
irritare, aperire, hinc mucosa, aquosa, serosa, vitiosa alia evo-
care, tractisque narium, capitis, thoracis aliisque confiniò aliquò
cohærentibus musculis in subsidium, per has & alias, qua porta
patet, partes, molestam quamcunque ferè corporis sarcinam vio-
lentò motu expellere. Utut autem ita modò, quò hætenus cre-
ditum, cerebrum per se & proximè per cribrosi foramina ossis
emungi, aut sublevare non censeam sed sanguinis verius, quod hîc
excutitur, totius purgamentum habeam, cum *Schneiderò, Rolfinc-
ciò, Schookio, l. c.* per accidens tamen, vacuatis his ex naribus pec-
cantibus humoribus, ut toti sanguini, ita vel maximè cerebro be-
nè consuli, compluribus hujus morbis imminentibus in occursum
iri, præsentibus sæpè per sternutamēta medelā adferri, hinc bonum
benè dispositi cerebri indicium hauriri posse, violentumque hunc
sternutationis motum faustis ominibus dignum subinde, censeo.

Optimè in rem hanc, ut ubique, *Judiciosissimus Rolfinccius*: debuit, inquit, omninò alimentarius singulas in partes deferendus sanguis spoliari suis scoriis, imprimis verò cerebro cessurus in alimentum. Purus hic esse debebat, *ὡς δυνάτις*, ideò in vestibulo mundari debebat, seorsim positus inquinamentis & retrimentis: ablegantur ergò illa (qua præsens) per carotidis internum ramum anteriorem, ad spongiosas narium partes, suum etiam conferentibus jugularium apicibus, impetuque per sternutatoria datò feliciter expelluntur. *l. 2. anat. disq. c. 20. l. 6. c. 56.*

X V I.

Ut vel ideò magna semper sternutatoriorum in cerebrum merita, imò invitæ valetudinisq; omnium ferè partium præsidium, beneficia laudarint, implorarint, *oculatiores Practici*. In capitis dolore, hoc narium destitutis beneficiò valdè familiari, sacra anchora sunt, hisque aliis ne quicquam proficientibus *Paulus Renealmus* mucum innumeris permixtum vermiculis excretum vidit cum levamine. Phreniticis proficua judicantur non modo, ex communi suffragio, ubi abscessus rumpendus venit, sed & cum materia ad cerebrum ruens dissipanda, adstipulante *Peredâ in Paschal.* in vertiginosis suspecta quidem potissimis reddit *Lud. Septalius* ob rationes *6. animad. §. 47.* adductas; mitiora tamen quæ cacochymiam ferosam in cerebrum irrupturam avertere norunt, non adeò reformidanda videntur; nec quæ metuit Author, corpore debitè purgatò adeò timenda, *Sennerto* etiam consentientel. *1. pr. p. 2. c. 4.* Excitantur his epileptici secundum *Henr. ab Heer obs. opidò rar. 24. Balthas. Timæum l. 1. epist. med. 9.* quibus hæc ideò quotidiana imperat *Th. Willifius path. cereb. c. 3.* apoplecticis præsentaneum hinc auxilium promittunt *Lazar. Riverius pr. med. tom. 2. l. 3. c. 6. Rolfinccius consult. l. 1. conf. 16.* Catalepticis præscribit *Henr. ab Heer. l. c. obs. 3.* frigidæ cerebri intemperiei *Riverius l. 1. pr. c. 1.* paralyfi *Roder. à Fonseca l. 1. consult. med. 17.* ordinat; emunguntur enim his impuri sanguinis ad loca affecta tendentes ruentesque atomi, antequam cerebrum saluant, & minuuntur. In oculorum affectibus potissimis, ob narium cum illis vicinitatem, & facilem consensum, exesse ferè ab omnibus jubentur; depurare tamen & hinc sanguinem antequam
ad

ad oculos eat per carotidas arteriolas posse, sana ratio dicitur, nec ipse ignorasse hoc *Hippocrates* videtur, qui hoc titulo commendat l. de loc. in hom. quem cum adversa parte *Mercurialis* l. pr. c. 33. conciliat; per nares superfluxe in ptyalissimo humiditati viam monstrant; his in catarrhis ad nares, fauces, pulmones locum dant *Rolfinccius* diss. de bis. *Mermannus* l. 2. consil. nec non *Philosophus* per ignem l. asthm. & tuss. pituitæ in bronchiis pulmonum difficulter mobili, & consequenter pertinaci hinc ortæ tussi occurrunt, ex 2. sympt. caus. 5. & 6. Cur singultum sedent sternutatoria ex 6. apb. 13. non una omnium interpretum mens est, qui videri possunt: sive secundum nonnullos diaphragma hic sollicitetur primario, sive ventriculus, molestum hæc vaporem violento impetu discutere norunt, vide *Malach. Trust.* l. c. f. 15. in alvi duritie, deorsum compulso diaphragmate constrictisque abdominis musculis, contentas in intestinis feces promovent, secundum *Th. Bartholinum* anat. l. 2. in obstructionibus aliis facultatem irritant expellentem, humores obstruentes loco movent, effluxuique violento motu optatam occasionem præbent; quod fortè sine etiam melancholiâ hypochondriacâ laboranti *Th. Mermannus* l. 4. obs. 30. propinavit. Valent in icterico dissipando colore, teste *Wilb. Rondeletio* meth. cur. l. 3. c. 34. *Rolfinccio* consult. l. 8. cons. 20. Nec desunt qui calculo ex ureteribus expellendo, subsidio musculorum lumbarium, commendare audent; quod tamen anceps *Schneiderus* remedium de off. cribrif. dicit; molam pellere sub vehementiori totius corporis concussione, *Rodericus* 3. de morb. m. 8. *Timæus* l. 3. epist. med. 40. largiuntur: juvant uterinis molestas, armant animantque fortiter, extremâ urgente necessitate viribusque præsentibus, ex difficili laborantes partu, ex 5. apb. 35. experimentum hujus egregium *Harveus* de partu suggerit; aliud magis mirandum *Henr. ab Heer* l. c. obs. 14. notavit, ubi caput sub difficultate partûs in matrice relictum sternutamento fuit rejectum, ut ad 18. pedes per conclave sphæræ se instar volutarit; feliciter secundinis tardantibus calcar addunt, 5. apb. 49. album uteri fluorem, fomentum mali subducendo, cohibent, ex *Rolfinccio* Anat. l. c. matricis imò abscessus etiam rumpere *Sennertus* est author,

thor, l. 4. *prax.* p. 1. s. 2. c. 13 Artubus extremis dolentibus, tumentibus brachiis, pedibus, profunt, dum serum, sanguinis aurigam, evacuant, & frenum quasi furioso hujus impetui injiciunt; ita podagricus ex consilio *Ulrici Ducis Württembergiae* intra singula decendia semel majoranā cum origano naribus inditā, magnam muci & pituitæ copiam extraxit, nec unquam podagram amplius sentiit, apud *Welschium* in *syllog. cur. & obs. med. Jerem. Martii obs.* 12. Quid multis? ipsi morti imperare, agonizantes erigere, sopita vitæ vestigia reducere ex *Foresto & Fort. Fidelis relationibus med.* abunde videre est. Nimirum, sub valida partium omnium concussione, non potest non sanguis alicubi restitans agitari, flammaque vitalis interitui proxima excitari, ut ad se redeat, suumque iterum circulum massa sanguinea sequi incipiat.

Tantum de *Medicamentis Sternutatoriis* hac vice dixisse sufficiat: æquum interim mihi à Benevolo Lectore promitto judicium, si non in omnibus satisfecerim; considerabit enim id, quod

Latinitatis parens, Cicero habet *orat.* 54. *quæ est Philippica* 12.

Cujusvis hominis est errare.

DEO TER OPTIMO MAXIMO
pro concessa gratia sit

LAUS HONOR ET GLORIA IN SEMPI-
TERNA SECLA.